

riandi non excusat, nec injuriarum actionem tollit. Ast si talia crimina alicui calumniosè fuerint objecta, si injuriis provocatus in iisdem terminis responderit, ad famam suam defendendam, injuriarum actione non tenetur; nam qui injuriam ad innocentiae suae defensionem temperanter retorquet injurianti, utique injuriis provocato ignoscendum est, *l. 14. §. 6. ff. de bonis libert.* Sicuti enim injuriam vel offensionem armatam armis impunè repellere licet: sic offensionem verbalem verbis in iisdem terminis repellere est permissum, *l. 3. ff. de just. & jur.*

Pubertas. Foeminae post 12. annum aetatis completum censentur puberes, & viri potentes. Mares verò post 14. annum completum, *pr. Inst. quib. mod. tut. finitur.* Foeminae ideò dicuntur citius pubescere, quia frigidioris sunt naturae, quam mares; Accursius Jctus lepidam addit rationem, quia mulier est mala herba, quae semper citius crescit, quam bona. Canonistae pubertatem ratione matrimonii metiuntur ex potentia coeundi sive generandi, & non ex numero annorum, *c. 3. §. fin. X. de spons. impuber.*

Questio censetur fatua, quae non habet rationem dubitandi, *l. 27. ff. de his, qui testam. facere poss.* Quid verò de Cartesio Philosopho sentiendum sit, judicent alii, qui in dubium vocat, utrum homo vivat, vel ignis urat. Tandem hominem reverà vivere, sequenti ratione ductus fatetur. Dubito, ergo sum. misera est consequentia: meo judicio tales tamdiu duris verberibus essent excipiendi, ut de eorum existentia dubitare desisterent: vel in altero casu tamdiu igni adhibendi forent, donec eundem urere corpore suo spontè confiterentur.

Questio omnis, de qua in judicio disceptatur, & disputatur, sive controvertitur, vel in facto, vel in jure consistit; Ratio est, quia in foro civili semper de facto vel de jure quaeritur. Undè duplex quaestio forensis formari solet. (1) est quaestio facti, & (2) juris. Quaestio facti est, quando de facto, de quo fortè nondum rectè constat, quaeritur, deque eo in judicio controversia est. Vel quando de facti circumstantiis quaeritur, & disceptatur, *l. 79. ff. de judic.* Ubi quaeritur, quis fecit, quo loco fecit, quo tempore, quo instrumento, quibus praesentibus &c. Hæc facti quaestio versatur vel circa causas civiles, vel circa causas criminales &c. Quaestio juris est, quando de jure quaeritur, quid de proposito facto jura, leges-
que